

Documentum

Ecclesia Abbatialis Grimbergensis a Summo Pontifice Ioanne Paulo II ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur

IOANNES PAULUS PP II

ad perpetuam rei memoriam

Spiritale foventes Christifidelium bonum, diligenter contendimus ut sanctorum divinum cultum diffundamus atque sacras in toto orbe aedes in eorum honorem Deo dicatas exornemus. Ideoque cum Venerabilis Frater Noster Godefridus S.R.E. Cardinalis Danneels, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum abbatiale et paroeciale Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli loco v.d. — Grimbergen — in archidioecesi Mechliniensi-Bruxellensi situm ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum — De titulo Basilicae Minoris —, die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum, contrariis quibusvis non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

de mandato Summi Pontificis

† Angelus Card. Sodano

[loc. sig.]